

Gallo actionem exceptionemque doli nihil interesse utrum actor nullam actionem haberet ipso jure, (civilis scilicet stricte sic dicto & subtili,) an haberet quidem, sed talem, quæ per exceptionem elideretur, *l. 112. ff. de R. J.* manebat tamen quoad agendi modum differentia atque insignis. Nam si nulla esset jure civili actio, vel fuisset, sed desisset esse: sufficiebat, reum apud Præto-rem, ubi ab actore conveniebatur, inficiari debi- tum. Tum enim, nisi in judicio judici ab actore probare- tur, esse sibi actionem civili jure aduersus reum, vel si a reo demonstraretur, eam esse desisset ipso iure: a ju- dice (pedaneo) absoluebatur reus, permittente formula: *quod non pareret, reum actori secundum regulas iuris debere.* Si vero iure civili actio daretur, sed ea per exceptionem iure Prætorio infirmaretur, oportebat reum aliter se de- fendere. Nam ubi actor is, qui dolo malo erat stipula- tus, in jure postulabat a Præto- re, sibi dari actionem & judicem, eique puram præscribi formulam, scilicet, *si paret, reum dare, facere oportere ex stipulatu, condemna:* statim debebat reus ei objicere exceptionem doli mali & simul a Præto- re petere, eam exceptionem inseri for- mulæ, hoc ferme modo: *si in ea re nihil actoris dolo ma- lo factum esset l. 2. §. 1. de dol. mal. except.* quod si fecisset Prætor, erat reo ius, eam exceptionem deinde in ju- dicio apud iudicem probare suo ordine, alias non. Hac exceptione utebatur reus, si res nondum tradita e- rat; si vero hoc jam factum, Prætor actionem de dolo concedebat, ut supra §. IV. in f. jam monuimus.